



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilii Primi Carthaginensis exordium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
348.

**CONCILIVM<sup>b</sup> CARTHAGINENSE**  
<sup>c</sup>PRIMVM, <sup>d</sup>TEMPORE IVLII  
PRIMI PAPÆ.

Est vero prouinciale, probatum a Leone IV.  
dist. 20. c. de libellis.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. <i>Vt baptismum in Trinitate susceptum non iteretur.</i>                                      | <i>ante redditam rationem clerici non ordinentur.</i>  |
| II. <i>De martyrum sepulcris &amp; honorificentia.</i>   | IX. <i>Vt laici clericos actores, vel ratiocinatores sibi non constituent.</i>                   |
| III. <i>Vt clerici &amp; sanctimonialis femina cum extraneis viris vel feminis non habitent.</i> | X. <i>Ne episcopus alterius episcopi plebes vel fines usurpet.</i>                               |
| IV. <i>Vt clerici cum viduis vel aliis extraneis personis non commorentur.</i>                   | XI. <i>De clericis contumacibus, &amp; de numero iudicantium presbyterorum &amp; diaconorum.</i> |
| V. <i>Vt clerici vel laici in alterius ecclesia non ordinentur.</i>                              | XII. <i>Vt pacta inter episcopos iniuncta custodiantur.</i>                                      |
| VI. <i>Vt clerici actus secularium, vel procuraciones non suscipiant.</i>                        | XIII. <i>Vt non liceat clericis fenerrari.</i>   |
| VII. <i>Vt clerici vel laici in ecclesia aliena non communicent sine literis sui episcopi.</i>   | XIV. <i>Vt laici contemptores Canonum excommunicentur, clerici vero honore priuentur.</i>        |
| VIII. <i>Vt implicati negotiis alienis</i>   |  |

CONCILII PRIMI CARTHAGINENSIS  
exordium.

**C**VM<sup>e</sup> Gratus episcopus Carthagenensis in Concilio vna cum collegis suis confedisset, & qui ex diuersis prouinciis Africanis ad Carthagenem conuenerunt, Felice<sup>\*</sup> Baianensi, Fortunatiano Raptano, Crescente Vagensi, Vindiciano Labobricensi, Abundantio Adrumetino, Priuato Vegesilitano, Gaudentio<sup>\*</sup> Tusdritano, Patricio<sup>\*</sup> Sincensi, Quietio Vticensi, Rumulo Tebestensi,

\* Bizaccenens.

\* Turritano,  
\* Setien-  
s,  
\* Simi-  
tuens.

& ceteris, quorum manus continentur, idem Gratus episcopus dixit: Gratias Deo omnipotenti & Christo Iesu, <sup>f</sup> qui dedit malis schismatibus finem, & respexit ecclesiam suam, vt in eius gremium erigeret vniuersa membra dispersa, qui imperauit <sup>s</sup> religiosissimo Constantino imperatori, vt votum gereret vnitatis, & <sup>h</sup> mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum & Macarium. Dei ergo nutu congregati ad vnitatem, vt per diuersas prouincias Concilia celebremus, & vniuersæ prouinciæ Africæ hodierna die, Concilium gratia Dei Carthaginem veniret, vnde considerantibus vobis cum mea mediocritate tractentur tituli necessarii, de quibus necesse est, nos, memores præceptorum diuinorum & magisterii diuinarum scripturarum, contemplantes vnitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore vnitatis aliquid durissimum statuamus.

## I.

<sup>i</sup> Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Vnde sanctitatem vestram postulo, vt mentis vestræ placita producat in Trinitate secundum euangelii fidem & apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum, de resurrectione Iesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum intingi. Vniuersi episcopi dixerunt: Absit absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum a sincera fide & catholica disciplina. Gratus